

equitum alæ erumpebant : quanquam ante bellum a Vene-
tis cum Mahometho Othomano susceptum , longe prius
Turcorum arma Amurathi , qui Mahomethi pater fuit ,
auspiciis in Epirum penetrarunt : vel tum maxime , quum
Scanderbechus ab illo oppugnatus est . Ferunt hunc fero-
cissimum in armis fuisse , & qualem post Pyrrhum , qui
cum Romanis in terra Italia bellavit , Epiroticum nomen
non habuit . Solebat Joannes Coccius , pater meus , qui
Calabro bello sub Ruberto Ursino , viro fortissimo , ali-
quandiu militavit , adolescenti mihi enarrare : vidisse se
Epirotam hominem , qui cum sexcentis equitibus Ferdi-
nandi nomine in Appuliam transiverat , exerto brachio ,
nunc clava , nunc falcato ense pugnantem : totque inte-
rim ac tanta belli facinora edentem , ut merito plus unus ,
quam tota equitum ala hostibus formidabilis videretur . Is
principatum sua industria in Epiro recuperatum , quoad
vixit , adversus Turcos cum paucissimis fortiter defendit .
Sexcentos lectissimos equites habuit semper , majore fere
equitatu non utebatur : cum his sapissime barbarorum
copias suis longe majores , conferto prælio , fudit fugavit-
que ; quo factum esse ajunt , ut post ejus mortem eximia
viri admiratione populi imbuti , quasi in illo aliquid vi-
dissent quod humanum excederet fastigium , grati Principis
memoriam solemnibus consecrarint carminibus . Retu-
lerunt mihi fide digni viri , vel medio ardore belli , &
tum quum barbarorum armis omnia strepebant , puellarum
cætus in his urbibus , quibus ille imperavit , octavo quo-
que die mediis triviis coire solitos , ac defuncti Principis
(ut veteres magnorum heroum in conviviis solebant)
laudes decantare . Sed hæc , ut dixi , aliquanto antea . In
Dalmatia quoque & multæ & variæ per hæc tempora fue-
runt hostium excursions : verum quia subitæ & latrocinii
potius quam legitimi belli speciem habentes , ideo parum
memorabiles . Ac satis nobiscum fœliciter actum esset , si
provincia solum , & non Italia quoque impia illorum arma
sensisset : quæ tum primum , quum hæc quæ diximus , a
Mocenico in Asia gerebantur , Italiæ finibus transgressa Uti-